



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quare necessaria fuerunt semper Sacramenta post peccatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacramentis. Cap. II. 7

temporis neque loci longè distantis, neque alterius cujuscumque incommodi ratione. Cum autem accersetur, tantum abest ut verbis, vel vultu vel alio signo ostendat, se gravatè iturum, ut illius cui ministrare debet, salutis desiderio se accensum patrem prabens, verborum benignitate vultuque hilari charitatem paternam significante libentissimè, & ut potest celerrimè accedat.

CAPUT II.

De necessitate Sacramentorum in lege natura & in lege Mosàica.

Quaest. I. **Q**UARE necessaria fuerunt semper Sacramenta post peccatum?

Resp. Quia, ut ait Divus Augustinus; In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum condunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibilibus consortio colligentur.

D. Aug. 19. contra Faustum. cap. 11.

Divus Thomas, Augustini perpetuus discipulus, tres adducit hujus necessitatis rationes: Sacramenta sunt necessaria ad salutem triplici ratione, quarum prima sumenda est ex conditione humana natura, cujus proprium est ut per corporalia & sensibilia in spiritualia & intelligibilia adducatur: pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat, secundum modum sua conditionis; & ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus signis, qua Sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus

D. Th. 3. p. q. 61. art. 1. in corp.

8 TRACTATUS I.

rebus : ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quedam corporalia signa homini spiritalem medicinam adhiberet : nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humana, qua precipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia. Sic igitur per Sacramentorum institutionem homo convenienter sua natura eruditur per sensibilia ; humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur ; preservatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum. Idem habet Divus Bonavent. Centiloquii 3. p. sect. 47. de Sacrament. in generali.

Quoniam eramus cæci quoad rationalem, ideo data sunt Sacramenta sensibilia ad eruditionem. Quoniam eramus elati quoad irascibilem, ideo data sunt Sacramenta corporalia ad humiliationem. Quoniam eramus proni ad malum quoad concupescibilem, ideo data sunt Sacramenta plura ad exercitationem.

Quæst. 2. Sacramenta fuerunt-ne homini necessaria in statu innocentia?

Matth. 9.

Resp. Nequaquam, cum Non sit opus valentibus Medicus, sed malè habentibus, ut ait Christus Dominus ; Sacramenta autem instituta sunt tanquam remedia contra peccata, proindeque non fuerunt necessaria in statu innocentia.

Quæst. 3. Nonne Sacramentum matrimonii institutum est in statu innocentia, ut dicitur